

30
S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

SERMONES INEDITI.

SERMONES

DE SCRIPTURA.

SERMO I.

De ligno dignoscentiae boni et mali.

Hic sermo rejectus est in appendicem a Maurinis, sicut et sequens, ita ut ex duobus unus fiat in editis, et quidem perperam. Sola dubitandi ratio occurrit, quod in codice Corbeiensi extet sine nomine, et a quibusdam fuerit S. Ambrosio ascriptus, quibus ego rationibus me minime moveri libentissime fateor. In aliquibus enim veteribus libris contineri et ipsi in clamant Maurini; quin et tres nunc inventi, illis autem nondum cogniti, occurrunt codices, qui sancti Augustini fetum hunc esse testantur. Legitur enim in duobus codicibus cassinensibus, nempe cod. ciii, fol. 206, et cod. cvi, fol. 350; et quidem cum nomine beati Doctoris. Eidem pariter tribuitur in biblio-

¹ Vide tom. I, cap. 404, p. 275. Append. Hæc verba insula circumscribitur in Codice, sed tunc requiritur.

theca Laurentiana tom. 1, fol. 80. Quid si rejiciendi hujus sermonis causa fuisset sententia auctoris de bonitate Dei, in quibusdam non consentiens recentiorum hæreticorum opinionibus? (Vide n. III.) Unde duos illos sermones Augustino restituimus, et emendatos ad authenticos codices hic repræsentamus. Locus ejus post sermonem I, cum numero Serm. II.

SYNOPSIS.

I. Exordium. II. Arbor a Deo prohibita. III. Mors in arbore facta non fuit. IV. Arbor non erat mala. V. Idem comparationibus comprobatur. VI. Peccatum soli Adæ imputandum, non arbori aut Deo. VII. Conclusio.

I. In Veteri Testamento, id est, in Genesi¹ legimus, Dominum dixisse ad Adam: « Ex omni ligno quod est in medio paradisi edetis, ex ligno autem dignoscentiæ » boni et mali, quod est in medio paradisi non edetis; » qua die autem ederitis morte moriemini (a). » Multos² scimus, carissimi Fratres, de hac arbore quæstiones vanas movisse, qui dicunt³ Adam non voluntate peccasse, quia in illa arbore fuit dignoscentia boni et mali, qui cum hominis culpam excusare nituntur, Deo conditori injuriam faciunt. Quibus ratio reddenda est, ne diutius quæstiones vanas moveant, neque lateant in errore talia mentiendo⁴. Sed si volunt nosse taceant et audiant, ne loquendo stulta⁵ Deo convicium faciant.

II. Una arbor fuit in medio paradisi explorans hominis voluntatem; in ea vita pendeat per obedientiam⁶, mors

(a) Gen. II, 16, 17.

¹ Edit. *Legimus in Genesi, dixisse Dominum.* — ² Vox *multos* deest in nostro Codice. — ³ Edit. *male dicant.* — ⁴ Edit. *aut usque adhuc taliter sentiendo lateant.* — ⁵ Edit. *stulta loquendo.* — ⁶ Hæc verba necessaria per obedientiam desunt in edit. Eorum loco legitur *et in ea.*

per transgressionem latebat. In ea apparuit hominis transgressio, in qua legis præceptio firmata fuit¹. Dixit illis Deus: « Ex omni ligno quod est in medio paradisi edetis, de illa autem² arbore, quæ est in medio paradisi, » non edetis; ne morte³ moriamini (a). » In hoc verbo lex erat a Domino homini posita, in quo⁴ fuit præmium vitæ constitutum cum interminatione sententiæ. Dixit Deus: « Morte moriemini⁵, si gustaveritis (b); » et diabolus dixit: « Morte non moriemini⁶. » Stetit homo inter factorem Deum et diabolum deceptorem. Deus mortem⁷ minatur, si tangatur arboris fructus; diabolus, si sumatur fructus, promittit deos esse futuros⁸. Sic arbor illa violata⁹; appetita est venenosa dulcedo mortis¹⁰, et contempta est salubritas perpetuæ vitæ.

III. Sed dixit¹¹ aliquis calumniator: « Vides quia in illa arbore fuit facta mors. » Respondeamus vanæ quæstioni. Non fuit plane in illa arbore facta, sed inventa per hominem. Hæc fuit probatio hominis, non deceptio Salvatoris. Nam si Deus hominem non amasset, nec et fecisset nec ante¹² præmoneret, si mortificare voluisset. Quod si ante non præmoneret, non erat misericordia, sed impietas, nec justitia, sed injustitia, ut ipse fecisset misericorditer hominem et labi fecisset injuste. Hæc impietas nec in homine esse debet, quanto magis in Deo non fuisse credenda est, qui fons bonitatis et pietatis est. Quis hominum, Fratres

(a) Gen. II, 16, 17. — (b) Id. III, 4.

¹ Edit. *in qua firmata fuerat legis præceptio.* — ² Edit. *vero.* — ³ In Cod. *male moriemini*; deest vox *morte.* — ⁴ Edit. *male: Lex erat a Deo posita homini, in ea fuit præmium constitutum.* — ⁵ Edit. *Deus dixit: Si gustaveritis morte moriemini.* — ⁶ Edit. *non morte moriemini.* — ⁷ Cod. *minus bene morte.* — ⁸ Hic et sæpius in editis verba eadem leguntur, sed ordine paululum diverso; ab indicanda levi illa differentia abhinc abstinemus, nisi mutatio sensum affecerit. — ⁹ Hæc phrasia deest in editis. — ¹⁰ *Mortis* desideratur in editis, et quidem male; male iterum Codex habet *appetitia.* — ¹¹ Edit. *dicat.* — ¹² Edit. *nec et antea.*

mei, opus suum perire patiat, aut¹ fabricam suam ruinæ tradat, aut filium quem genuit in foveam mortis impingat. Si in homine ista crudelitas non est, quomodo in Deo fuisse credenda est², qui fabricam suam, id est hominem, bene disposuit, et imminenti³ ejus ruinæ destinatione præcepti⁴ suffulsit, ne caderet? Sed stare non potuit; quare⁵ quia audire noluit. Quid ergo imputamus Deo, si Adam cecidit, qui ut caderet præceptum Dei contempsit?

IV. Dic mihi: arbor ipsa bona fuit, an mala⁵? dicturus es utique mala, de qua homo pomum rapiendo epulatus est mortem⁶. Ergo arbor fuit mala, an transgressio mandati? plane arbor; nam si mala non fuisset, homini mortem non propinasset⁷. Hæc dicis non intendens virtutem Scripturarum; nam sicut scriptum est: in illa arbore fuit⁸ « dignoscentia boni et mali (a), » item⁹ scriptum est: « Et vidit Deus quæ fecit et erant¹⁰ bona valde (b). » Illud credis, quod te in errorem inducat, et hoc quod te ad sanitatem¹¹ perducat non credis? vis nosse qui calumniaris, quia arbor illa non fuit mala, sed bona; nec in ea facta est a Deo mors, sed homo sibi mortem creavit? Ferrum¹² bonum est, an malum? sine dubio dicturus es: Malum. Quare malum, et non bonum, cum omnia quæ fecit Deus bona sint¹³ valde? quare¹⁴ bonum dicis esse fer-

(a) Gen. ii, 17. — (b) Id. i, 31.

¹ Cod. male ut. — ² Edit. nec in Deo credas fuisse. — ³ Cod. male imminente. — ⁴ Edit. male destinam præcepti; unde abjicienda docta quidem, sed inutilis nota, ad inferiorem paginæ marginem apposita. — ⁵ Cod. minus bene: an non? — ⁶ Maurini male: Dicturus es: Mala, mala utique, de qua homo pomum rapiendo muclatus est morte. Prius editi pejori modo: Mutatus est in mortem. Nostram lectionem veram esse patet. — ⁷ Edit. male: Adam non cecidisset. Cum nostris Codicibus concordat MS. Compendiensis. — ⁸ Edit. fuisse dignoscentiam. — ⁹ Edit. ita. — ¹⁰ Edit. ecce. — ¹¹ Edit. salutem. — ¹² Edit. habent: Dic mihi, Calumniator: Ferrum, etc. — ¹³ Cod. male sunt. — ¹⁴ Edit. quale.

rum, unde homines perimuntur? audi ergo: Non ferrum malum est, sed homo¹ qui ad factum utitur ferro, ipse malus est. Nam vis nosse quia bonum est ferrum? Unus eo utitur ad putandam² vineam, et alius ad perpetrandum homicidium. Unus³ se pascit ferro, et alius innocentiam⁴ perimit gladio: unus agrum ferro colit, et alius in pace ferro sanguinem prodit: unus operatur ferro ut vitam sustentet suam, alius autem ferro vitam eripit alienam. Nam et iudex gladium portat, ut in reum⁵ animadvertat, et innocentem absolvat.

V. Adhuc audi, si vacat, Calumniator; vinum bonum dicis esse an malum? puto quod dicis esse bonum, non malum; et hoc ad iudicium æquitatis, et non ad ebrietatis beneficium⁶. Ergo bonum est vinum, bonum valde. Bene quod in uno⁷ confessus es bonam esse Dei creaturam; et ego confiteor bonam esse. Quare ergo unus accipit ad sobrietatem, et alius ad ebrietatem⁸? numquid quia unus inebriatur⁹ et turpis videtur, ideo maledicenda est creatura Dei? Alius sobrie bibit, et benedicit Deum in ipsa sobrietate; nam qui inebriatur, in foveam cadit, et aliquoties, quod pejus est, mortem incurrit¹⁰. Cibi, quos nobis Deus largitus est ad edendum¹¹, non sunt mali, sed boni, et tamen, si amplius sumantur¹², perniciosi sunt et nocivi. Numquid ideo mala dicenda est Dei creatura, quia nocet, aut aliquibus perniciosa est? Sed qui eam in perniciem salutis suæ amplius præsumunt quam quod Deus

¹ In Edit. deest homo. — ² Edit. putandum. — ³ Edit. alius. — ⁴ Edit. innocentem. — ⁵ In Cod. deest in. — ⁶ Edit. puto quod bonum esse dicas, et hoc æquitatis iudicio, non ebrietatis beneficio. — ⁷ Edit. male in vino. — ⁸ Edit. Quare ergo unus accipit cum sobrietate, alius ad ebrietatem? Cod. male accepit. — ⁹ Edit. male unus de eo ebriatur. — ¹⁰ Cod. male alius inebriatur, et in foveam cadit, aliquoties, quod pejus est, mortem incurrit. — ¹¹ Edit. Dominus largiri dignatus est ad utendum. — ¹² Edit. præsumantur.

generi humano largitus est, ipsis nociva est¹. Nam hoc, quod dicturus sum, bene omnibus cognitum est². Scimus aliquos multo vino et cibo præfocatos et morte præventos³. Numquid in vino aut cibo fuit mors? Absit, sed intemperantia ciborum fecit eos in mortem incidere⁴. Sicut ferrum non ideo malum dicendum est, quia de eo latro fecit⁵ homicidium; sed ipse malus est, qui eo utitur ad perimendum hominem. Ita et illa arbor non fuit mala, sed bona; sed hoc fuit plane malum, quod homo Dei præceptum transgressus est. Nam quidquid Dominus ad usum hominis dare dignatus est, bonum est⁶. Ecce et⁷ de Novo Testamento profero testimonium, bona esse⁸ quæ Deus fecit. In Actibus Apostolorum obdormisse Petrum legitur⁹, et visum vidisse: « Deponi de cælo vas quoddam can- » didum, velut linteum, in quo erant volatilia, qua- » drupedia, et serpentina¹⁰ posita. Et dixit ad eum vox: » Surge, macta¹¹ et manduca. Et dixit: Absit, Domine; » nunquam manducavi quidquam commune¹² aut im- » mundum. Iterumque ad eum vox¹³: Quæ Deus, in- » quit, sanctificavit, tu commune ne dixeris (a). » Quid est, Calumniator? hæc non solum bona? sed sanctificata esse omnia ex¹⁴ ore divino probavimus.

VI. Arbor igitur¹⁵ hæc non fuit mala, sed bona, nec

(a) Act. x, 11, et seqq.
¹ Edit. male: *sed quia in perniciem salutis suæ amplius præsumunt, et quod Deus generi humano largitus est ipsis nocivum est.* — ² Edit. *et quæ dicturus sum bene omnibus nota sunt.* — ³ Edit. non habent: *et morte præventos.* — ⁴ Edit. *cadere.* — ⁵ Edit. *sic et pro sicut, et facit profecit.* — ⁶ Edit. *nam bonum est quidquid Deus homini ad utendum tribuere dignatus est.* — ⁷ In Edit. *deest et.* — ⁸ Edit. *omnia.* — ⁹ Edit. *legimus.* — ¹⁰ Edit. *serpentina terræ.* — ¹¹ Edit. *Surge, Petre, victima et manduca, et Petrus ait.* — ¹² Edit. *quoniam nunquam comedi.* — ¹³ Edit. *cui dixit;* et post *deest inquit.* — ¹⁴ Edit. non habent *ex.* — ¹⁵ Apud eodem desideratur vox *igitur.*

in ea aliquid reperiri potuit malum¹; sed homo fuit a semetipso malus, qui male usus est bono, quod fecerat Deus. In hoc mala voluntas hominis agnoscitur², quod ei omnis paradisi plenitudo non abundavit. Et quia ad arborem interdictam manum extendit, animæ mox mortem incurrit³. Si unam arborem ei Divinitas esset largita⁴, et omnis paradisi fuisset interdictus, sufficere debuit⁵ quod ei largitus est Deus. Sed quia amplius voluit, quam quod ei largientis indulset voluntas⁶, et hoc quod habuit confusus amisit, et in prævaricationis necem nihilominus irrui præceptis⁷. Peccatum Adæ, cui imputandum est? Deo, qui monuit, aut ei qui noluit audire? Medico, qui vulnerato præceptum⁸ dedit, aut vulnerato, qui, contra præceptum medici, noxia poma gustando, causam transgressionis incurrit? Medicorum ars est⁹, quos viderint nimia ægritudine laborantes, ab his eos prohibere escis, quæ sunt perniciose salutis, ut aut periculum possint cavere, aut mortem. Quod si ægroti contra medici præceptum per intemperantiam contraria sumpserint, et mortem incurrerint¹⁰, quid pertinet medico, qui prævidens causam, observationem indixit? Ita nec Deo medico animarum imputandum est, quod Adam cecidit, qui eum ante moriendo, in æternum vivere voluit.

VII. Multa supersunt de istis quæstionibus, quæ dicenda sunt; sed hora præterit¹¹ singula dicere, ne longi-

¹ Edit. *mali.* — ² Edit. *cognoscitur.* — ³ Edit. *ut cui omnis paradisi subjacuit, ad arborem interdictam manum extendens mortem incurrit.* — ⁴ Edit. *la giretur.* — ⁵ Edit. *debuerat.* — ⁶ Cod. *minus bene potestas.* — ⁷ In Edit. *desunt voces confusus... prævaricationis... nihilominus... præceptis.* — ⁸ Edit. *observandi præceptum.* — ⁹ In Cod. *abundat hic particula ut.* Edit. habent: *ut eis, quos viderint nimia ægritudine laborantes, ea proluceant quæ perniciose sunt, aut periculum procurent.* — ¹⁰ Edit. *quod si ægrotus contra medici præceptum per intemperantiam contraria sumens mortem incidit.* — ¹¹ Cod. *minus bene præterit.*

tudo sermonis fastidium faciat auditoribus; debitorem me dico; dilationem peto; sed vereor ne debitor occurrat, et creditor absentiam procuret.

SERMO II.

De ligno dignoscentiæ boni et mali II.

Idem de hoc Sermone dicendum ac de precedenti. Notandum est tantum hic unum solummodo occurrere codicem, nempe Cod. VI, fol. 352. Hic recurrit et fortior quidem dubitatio de causa propter quam Sermo iste rejectus est a Maurinis. Assertitur enim, nec incerte, sed clare, hominem invitum non peccare, peccare voluntate, non necessitate; Job vinci non potuisse, quia non voluit, etc. quæ quidem sententiæ non erant gratæ doctis editoribus. In dubium igitur potest revocari horumce virorum iudicium, quos a recta via per conceptas prius opiniones abductos fuisse facillime credendum est. Ponatur hic Sermo post præcedentem cum numero Serm. III.

SYNOPSIS.

I. Exordium. II. Cur Deus sciens Adam peccaturum, non eum revocavit a peccato. III. Mors ex divini mandati contemptu. IV. An debuit Deus permittere peccatum? V. Adam non ideo malus, quia genitor homicidæ. VI. Nec Deus, quia Adæ peccatoris creator. VII. Conclusio.

I. DEBITUM de quo supra¹ curo solvere sermonem; sed pristinos meos non invenio creditores; aliquos video, ali-

¹ Hæc verba de quo supra desunt in Edit. —

quos requiro. O creditor piger, cum veneris ut debitum exigas, quid absentiam¹ procuras? Debitor satisfacere debito² cupit, et creditor desidiosus absentiam facit³. Novam rem video; instat debitor creditori, ut debitum restituat⁴, et ille, ut recipiat, venire excusat. Sed quid interest? si⁵ creditor venire noluit, reddat debitor quod promisit.

II. Adhuc calumniator ille pristinus, tot probationibus convictus, non acquiescit, sed dicit: Sciebat Deus hominem posse peccare, annon⁶? Respondeamus ei, ne videatur sibi aliquid dixisse: Sciebat plane. Si ergo sciebat eum posse peccare, quare non eum revocavit a peccato? Quare? Quia invitum non decuit coronari⁷. Quis, inquam, Fratres mei, præmium non pugnanti dabit⁸? Aut quæ corona non dimicanti? Aut quæ sine conflictu victoria? Audi Apostolum divino ore loquentem: « Nemo coronatur, nisi qui legitime certaverit (a). » Adam nec pugnavit, nec certamen cum diabolo suscepit; sed ad unam suggestionem, præmium immortalitatis amisit. Victus est, quia non pugnavit; succubuit voluntati⁹, non necessitati. Vis nosse¹⁰, o Calumniator, qui signare te nescis, et Deo calumniaris¹¹, quia Adam voluntate peccavit¹²? Nempe Job homo fuit similis illi. Quanta perpessus est et toleravit! Pugnavit fortiter et vicit; a Deo in potestatem diaboli datus est, et sustinuit. Et utique quem sciebat Deus superari¹³ non posse, in potestatem non debuit dare: sed ideo taliter eum probare voluit, ut nobis excusationis et calumniæ articulum amputaret¹⁴. Expoliatus divitiis et

(a) 2 Tim. II, 5.

¹ Edit. tuam absentiam. — ² Edit. creditori. — ³ Edit. absentem se facit. — ⁴ Edit. ut debitum recipiat, et ille excusat. — ⁵ In Cod. deest si. — ⁶ Ibid. desideratur annon. — ⁷ Edit. coronare. — ⁸ Edit. dat. — ⁹ Cod. male voluptati. — ¹⁰ In Edit. desunt verba: vis nosse. — ¹¹ Edit. vis calumniari. — ¹² Edit. Adam non voluntate peccavit. — ¹³ Edit. penitus superari. — ¹⁴ In Cod. desunt male et... articulum.

censu, vinci non potuit, quia nec voluit. **Filios**¹ amisit, et Dominum benedixit. Parum fuit² hoc; postea ulceribus³ plenus, in stercore jacuit, et nihil mali adversus Deum loqui voluit⁴. Licet doloribus urgeretur loqui, verba tamen non fuerunt impropertii. **Cui** etiam uxor sua non ad adiutorium, sed ad deceptionem fuerat reservata⁵; ad adiutorium quidem diaboli, sed ad deceptionem plane mariti. Subrogata⁶ a diabolo, talia persuadebat dicens: « **Quandiu** hæc pateris? dic verbum » contra Dominum, ut indignetur tibi, et moriaris (a). » **O** affectus uxoris! o malagma conjugalis! non dixit: « **Confitere** Domino ut propitiatur tibi et vivas, » sed « **Blasphema**, inquit, Deum, ut indignetur tibi et moriaris⁷. » **O** argumenta serpentis antiqui! Per uxorem putavit⁸ decipere, cujus animam vulneribus⁹ ad blasphemiam non valuit incitare¹⁰. Deo nec sic Job quidquam ingrate aut contrarium est locutus; neque per suggestionem uxoris, diabolo, sed potius Deo, tolerans obedivit. Adam vero quid tale pertulit? Quod cum diabolo certamen habuit? Nihil tale pertulit: quare diabolo potius quam Deo obedivit?

III. Sed adhuc, Calumniator, dicis¹¹: **Quare** Deus dixit: « **Morte** moriemini, » nisi quia Deus ipsam mortem fecit, qui eam non avertit? Respondetur tibi, et in hoc, Calumniator ineptissime. Si tu, cum sis corruptibilis¹² homo,

(a) Job. xi, 9.

¹ In Cod. deest vox *filios*. — ² Edit. *est*. — ³ Cod. male *vulneribus*. — ⁴ Edit. male *potuit*; et post simplicem virgulam *licet doloribus urgebatur loqui; sed verba non fuerant impropertii*. — ⁵ Edit. *cui jam uxor sua non adiutorium, sed deceptio fuit*. Phrasid sequens integra deest. — ⁶ Edit. *subornata*. — ⁷ In Cod. desunt hæc ex his verbis: *O affectus, etc.*, quæ supplentur ex Editis. — ⁸ Edit. *putavit Job*. — ⁹ Edit. *animum vulneribus plenum*. — ¹⁰ Cod. *irritare*; et postea sine sensu legitur dimidiata phrasid: *et nec sic potuit, sed adiutorem Deo*. — ¹¹ Codex male *dicat*. — ¹² In Edit. deest *corruptibilis*.

habens sub te famulos, quibus ut se, ne in periculum mortis corruant, vitæ committis præceptum; et in his omnibus contigerit uni eorum per incuriæ negligentiam, laqueum incurrere necis¹, numquid mors ejus tibi imputanda erit, et non potius ei, qui tuam admonitionem contemnendo mortem incurrit? Sic nec Deo mors Adæ ascribenda est, qui eum ante transgressum², in mortem ne incurreret, monuit. Certe³ manifestum est Deum⁴ noluisse hominem perire⁵, neque mortem fecisse; juxta dicentis testimonium sapientissimi Salomonis: « **Deus** mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum (a). » Adam namque⁶ præceptum Dei contempsit⁷. Non verberibus cæsus, neque gladio percussoris fuit mulctatus. Imperatoris nempe facta⁸ nemo sine periculo sui sanguinis contemnit. Homines utique imperatoris suscipiunt cum tremore et veneratione vilissimam chartulam, atramento conscriptam⁹, et velut divinos apices adorant. Sed Scripturæ divinæ leguntur, verba Dei tonant, ipse Dominus quodam modo præsentibus loquitur, nec veneratur¹⁰, nec timetur, neque adoratur, nec auditur; sed, quod pejus est, velut fastidientes, discurrere per illicita visu, auditum avertentes, inanibus obnoxia cum detractatione fabulis occupamur¹¹. Imperator longe positus, de charta

(a) Sap. i, 13.

¹ Edit. *habens filios, omnes admones, omnibus præceptum das, ut te sequantur, et imitentur in omnibus, et si unus eorum contemptor extiterit, et per malam conversationem mortem incurrerit*. — ² Edit. *transgressionem, et deinde incidere*. — ³ Edit. *nam*. — ⁴ Edit. *monuisse Dominum atque noluisse*. — ⁵ Edit. *mori, et post nec ipsum fecisse mortem. Testificatur huic verbo sapientissimus Salomon dicens*. — ⁶ In Edit. deest *namque*. — ⁷ Edit. *neglexit, et in mortem incidit*. Phrasid sequens in iisdem integra desideratur. — ⁸ Edit. *revera, Fratres, imperatoris Sacram* (nempe epistolam) *sine periculo, etc.* — ⁹ Edit. *scriptam*. — ¹⁰ Vox passiva, id est, non recipit venerationem. — ¹¹ Edit. *et non auditur, aut fastidiosè homines audiunt, aut, quod pejus est, sedentes fabulis vacant*.

loquitur et tremitur¹, et quasi præsens in illa charta adoratur²; testimonium dominicum recitatur, et ab aliquibus contemnitur³. Ipsum Prophetæ clamant, Apostoli prædicant, Evangelia loquuntur; per se ipsum hominibus fabulatur, et non auditur. Audi præsentem Deum⁴ et loquentem: « Ubi fuerint, inquit, duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (a). »
 IV. Sed utique, inquiunt calumniosi⁵, Deus non debuit hominem permittere ut peccaret. O stulti qui hoc dicunt, et⁶ non considerant quia Deus non statuum fecit lapideam aut ligneam, sed hominem perfectum condidit, cui et liberi arbitrii potestatem dedit⁷! Debuit considerare quid boni appeteret, et quid mali contemneret; debuit timere quod minatus est Deus, et contemnere quod persuaserat diabolus; et proposito sibi immortalitatis præmio, ad hoc debuit aurem cordis parare⁸, ut Creatoris sui servaret præceptam, non exterminatoris consilium⁹. Non melius hominem culpo quam Deum, qui hominem bonum fecit? cui procul dubio injuriam facio, dum contra eum defendo hominem¹⁰. O stulta et vana quæstio! Dicunt homines: Deus non debuit hominem permittere ut peccaret, et non dicunt quia homo male fecit, Dei præceptum transgrediendo, ut peccaret. Quia¹¹ utique ipse homo debuit mortem timere, et ad interdicitam arborem non accedere.

V. Si quisquam hominum, nolo dicere imperatoris

(a) Matth. xviii, 20.

¹ Vox passive sumpta, quanquam non sic communiter. — ² Cod. minus bene *adoratur*. — ³ Edit. *testamentum Domini cum recitatur ab aliquibus hominibus et contemnitur*. — ⁴ Edit. *Dominum*. — ⁵ In Edit. additur vox *homines*. — ⁶ In Edit. *deest et*. — ⁷ Edit. *ut consideraret quid boni*, etc. — ⁸ Edit. *habere cor paratum, et Creatoris sui servare*, etc. — ⁹ Edit. *audire consilium*. — ¹⁰ Edit. male: *non melius hominem culpo quam Deum? qui hominem fecit, injuriam faciat?* — ¹¹ Cod. minus bene *qui*.

sæculi, vel certe¹ iudicis præconem contempserit, non rapitur ad supplicium? Dei præcepta² contempsit Adam, et ab aliquibus defenditur. Quare culpas Deum cum tuo periculo³, et non hominem sine tuo præiudicio⁴? Quare accusas⁵ Artificem qui bene fabricavit, et defendis hominem qui ædificio suo adesse noluit? Qui divini præcepti immemor fuit, in vulnus⁶ transgressionis incurrit. O qui Adam defendis et Deo injuriam facis, ad quod te interrogo responde mihi: Adam bonus fuit an malus? Dicturus es bonus, ut plena sit tua defensio. Si ergo bonus fuit, quare unum filium bonum, alium latronem fecit⁷? Debuit, utpote bonus⁸, ambos bonos creare, aut si, ut tu⁹ dicis, Deo faciente peccavit, ambos malos debuit generare. Quare unum innocentem, et alium effundentem innocentis sanguinem genuit? Unus dedicavit martyrium, et alius initiavit parricidium. Ergo Caïn quod germanum occidit, reus non est, quia genitor ejus suscepit reatum, qui filium creavit latronem¹⁰. Si Adam invitus peccavit¹¹, ergo Caïn invitus in jugulum fratris gladium fixit. Talem justitiam tenent, quia legi calumniantur¹² ut geniti sint rei, et eorum¹³ genitores ipsorum¹⁴ reatu teneantur obstricti. Ecce Adam qui genuit latronem, et ecce Caïn qui interfecit fratrem. Quis¹⁵ ex his duobus est reus? Pater qui genuit, aut filius qui germanum morte¹⁶ peremit? Cesset calumniator, taceat calumniator; quamvis nunquam aliquid verius dicit, qui veritati calumniam fecit¹⁷. Ubi es, Calum-

¹ Duæ ista voces desunt in Edit. — ² Edit. *præceptum*. — ³ Edit. *judicio*. — ⁴ Edit. *periculo*. — ⁵ Edit. *incusas*. — ⁶ Cod. male *vulnere*. Edit. male non ponunt punctum post *noluit*. — ⁷ Edit. *genuit*. — ⁸ Hæc verba *utpote bonus* non leguntur in Edit. — ⁹ Voces *ut tu* desunt in Cod. — ¹⁰ Vox *latronem* non est in Edit. — ¹¹ Non reperitur in Edit. phrasis principium: *Si Adam invitus peccavit*. — ¹² Edit. *qui... calumniari nituntur*. — ¹³ Edit. *horum*. — ¹⁴ Vox *ipsorum* deest in Editis. — ¹⁵ Edit. male *qui*. — ¹⁶ Edit. *crueldi morte*. — ¹⁷ Edit. *cessit... tacuit... facit*.

niator? Responde mihi pro suscepto tuo, qui de te eras securus. Defende quem usque modo defendebas. Quare recessisti? quid tacuisti? Ecce pro filii reatu reus tenetur Adam qui genuit parricidam. Quare non dicis: Non est reus?

VI. Exurrexit qui tacebat. Non taceo, inquit, respondeo plane et defendo; nec filius pro patre, nec pater pro filio reus est, quia scriptum est: « Anima patris mea est, » et anima filii mea est: anima quæ peccaverit, ipsa punietur (a). » Quasi experrectus¹ est calumniator ille, qui dormiebat; aperuit os², cœpit loqui, sed modo tacebat. Dic ergo: Nec filius pro patre, nec pater pro filio reus est. Responde pro suscepto tuo, et ego pro Deo meo. Defende Adæ causam, et ego Domini mei³ injuriam. Tu dicis non esse justum ut reus sit Adam pro filio, et ego consentio; ergo si patrem non involvit filii reatus⁴, quare imputas Deo Adæ peccatum⁵? Et sicut non est judicandus⁶ pro Cæin, sic nec Deo quod Adam peccaverit⁷ imputemus⁸.

VII. Desine, stulte Calumniator, si tamen calumniator, et non potius blasphemator dicendus es, desine talia de Deo loqui, et talia delirare. Considera te primum qui sis, qualis vel a quo factus sis, et vide utrum debeas de Factore ita loqui, qui non audes loqui de conservo tuo.

(a) Ezech. xviii, 4.

¹ Cod. male *expertus*. — ² Edit. *os suum*. — ³ Edit. *Dei mei*. — ⁴ Edit. *reatus ad peccatum*. — ⁵ Hæc desunt in Edit. — ⁶ Edit. *judicandum*. — ⁷ Edit. *peccavit*. — ⁸ Edit. adjiciunt; *sed sic agamus, ut ad indulgentiam Dei veniamus*. Reliqua desunt.

SERMO III.

In istud: Ne tardes converti ad Dominum (a).

Sermo iste a Codice XII Cassinensi eruitur, qui totus fere S. Augustini fœtus complectitur. Nomen et stylus perfectissime concordant; unde dubitandi locus minime relinquitur. Ponendus est in editione Maurinensi post Sermonem XI, ubi eadem verba explicantur.

SYNOPSIS.

I. Bona opera cum fide necessaria sunt. II. Procrastinantes arguuntur. III. Contra desperationem et præsumptionem. IV. Procrastinatio iterum impugnatur. V. Conclusio.

I. CUM de bonis operibus frequentius admonemus aliquos ex nostris, ad justitiam, vel ad eleemosynam pigros, et ad luxuriam, vel avaritiam promptos esse cognoscimus. Pene est ut suspicemur eos, qui tales sunt, futurum judicium non timere. Et revera, Fratres, quando negligentes et tepidos Christianos nec peccata vitare, nec præmia sibi æterna videmus bonis operibus providere, quid superest, ut eos opinemur credere, quod nec bonis præmia, nec malis supplicia (sint) in Dei judicio repensanda. Et vere, Fratres, ipsum in veritate intelligimus Dei judicium timere, quem bonis operibus videmus insistere. Illi vero, qui nec bona opera conantur implere, et lectioni, et orationi vacare dissimulant, quid eis prodest, quod verbis asserant

(a) Eccli. v, 8.